





826. 8269.

5

1733, 5

FACULTATIS JURIDICÆ  
P. T.  
DECANVS,  
CONR. WILHELMVS  
*Strecker*/ JCTVS,

JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSOR, PROFESSOR JURIS PVBLICVS,  
CIVITATIS SYNDICVS ET CAVSARVM  
TVTELARIVM CONSVLENS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

*denunciations*



Vanvis rerum universarum Con-  
ditor DEVS plerasque terras eâ  
fertilitate donaverit, ut alendis  
suis inhaatoribus sufficere pos-  
sent, atque hinc quod aliunde  
asportatur, ad delicias magis fa-  
cere credatur, nec desint, qui Ger-  
manos melius se habituros existiment, si suo tantum  
sale in cibis utantur, relictis aromatibus Indicis, omis-  
sâque & ciborum & maximè potuum decoctorum va-  
rietate; sed cum non ex omni terra indigentia huma-  
næ commode subveniri possit, nec omnis ferat omnia  
tellus, non vicini tantum, sed etiam longius distiti in-  
vitari, imo & rogari convenit, ut mutua secum exer-  
ceant commercia, utque de suo largiantur, quod alteri  
deest, recepturi vicissim, quod sibi deficit. vid. Mar-  
quard. *de jur. mercator. hb. 1. C. 11. n. 14.* Creverunt qui-  
dem eluvies, prærupti conviviorum gurgites, epulares  
triumphi, ususque abundantis serici & textiles auctæ  
sunt artes, & culinarum cura magis sollicita, & ambi-  
tiosa ornatarum domorum sunt spacia; at verò pro-  
pter abusus usus rei extirpari non debet, gladius enim  
non adimatur viatori propterea, quod eo abutatur la-  
tro. Potius igitur eximii viri civilis laudem meretur  
is, qui merces ejusmodi exoticas, & quicquid vel Asia,  
vel

vel Africa, vel America denique singulare habet, adve-  
hit, suamque in commercii conservandis operam po-  
nit, nam sicuti commercia ad conservandam societa-  
tem humanam quam maxime conducunt; ita etiam  
major commerciorum multitudo majorem Reipubli-  
cæ parit utilitatem, ad quam magis magisque confir-  
mandam atque stabiliendam introducti sunt mercatus  
& nundinæ, in quibus negotiatores ex omnibus terræ  
locis undique certo tempore concurrunt, qui ut eò tu-  
tius ac securius suas exercean negotiationes, nundinæ  
variis Privilegiis atque immunitatibus insignitæ sunt.  
Triplicis autem generis moribus hodiernis sunt nun-  
dinæ, aliæ vulgares seu hebdomadariæ, aliæ annales  
sive Provinciales, aliæ solennes seu Univerfales. Vul-  
gares, quibus ex vicinis pagis adventantes rustici an-  
nonam aliâque ad victum necessaria in foris civitatum  
venum exponunt, instituendi facultas ad jura municipii  
refertur *L. 2. ff. de nund.* atque hæ antiquis illis Ro-  
manorum nundinis, ad quas apud Romanos Rustici  
nono quoque die ad mercatum, legesque accipiendas  
in Urbem deproperabant, similes videntur. Ziegler *de*  
*jur. Majest. lib. 1. C. 42. §. 2.* Proinde a quovis magistra-  
tu municipali citra specialem Principis consensum in-  
stituuntur, cum non tam mercatus aut negotiationis,  
quam annonæ gratiâ habeantur. Quamvis non rarò  
Superioris consensus ad earundum institutionem expe-  
ti soleat. Schweder. *Introd. in jus publ. p. spec. Sect. 1. C.*  
*17. §. 18. in fin.* Has nundinas hebdomadarias privile-  
giis etiam nundinalibus gaudere, idque multis in mu-  
nicipiis adhuc in usu esse, testatur Zahn *in sua ichnogra-*  
*phia municipi.* contrarium tamen à pluribus probabilius  
affe-

afferitur & probatur. Carpov. p. 1. Const. 30. Def. 23. Stryck. U. M. ff. Lib. 50. tit. 11. §. 1. Provinciales nundinae in cujusque Principis territorio, ipsius arbitrio, instituuntur, quas & ipsas amplissimis privilegiis muniri posse dubitandum non est, idque ex ipsa vi Superioritatis territorialis liquet. Myler. de Statib. Imp. C. 58. n. 7. & libera videtur ejusmodi nundinarum territorii Domino erectio, etiamsi vicinis Proceribus incommoda ac dispendiosa sit. arg. L. 9. ff. de Servit. Nemini enim injuriam facit, qui jure suo utitur, sic novimus Electorem Saxoniae civitati Lipsiae concessisse nundinas, ad quas animalia aguntur, contradicentibus licet Budstadiensibus, uti refert Lymnæus de jur. publ. lib. 4. C. 8. n. 302. in constituendis autem ejusmodi nundinis duo praecavenda bene monet Choppinus de Doman. Franc. lib. 3. tit. 27. n. 25. Primum ne binum venale forum, nisi denis passuum millibus interjectis admittatur, alterum ne iisdem cum alio diebus, noxio co-invicem concursu celebretur. Non desunt quidem existimantes, Dominos territoriales ejusmodi nundinas cum effectu privilegiorum atque immunitatum instituere non posse, vid. Sinolt dictus Schütz de Stat. Rei Rom. Vol. 1. Disp. 6. th. 21. lit. g., sed hi confundere videntur privilegia nundinarum respectu totius Imperii, & intuitu cujuslibet territorii considerata, Princeps siquidem efficere non potest, ut negotiatores ad nundinas Provinciales venientes per totum Imperium immunitate gaudeant, bene tamen ut in territorio Principis nundinas ordinantis talibus juribus fruantur. Tertium nundinarum genus sunt solennes seu universales, quæ tam Romanorum jure L. 1. ff. de nund. quam juxta leges Imperii

Imperii ad Reservata Supremæ Potestatis referuntur, vid. R. I. d. A. 1576. §. Dadurch denn ic. easdemque Imperator sine Ordinum consensu indulget. Reinking. de R. S. & E. lib. 1. Class. 5. C. 8. art. 156. ita tamen ut ipso absente hoc jus non sit denegandum Regi Romanorum ipso vivo electo, neque Vicariis Imperii, de quibus licet nullum exemplum extet, quod hoc jus unquam exercuerint, exinde tamen non sequitur, quod iis hoc jus non competat, satis est, quod Aurea Bulla de nundinarum concedendarum potestate nullam contineat exceptionem. Rhetius diff. de nund. solenn. Tb. 5. Wernher. Vol. 2. p. 3. O. 116. n. 378. seqq. Consuevit tamen Imperator, si credendum sit Galio 2. O. 60. n. 25. illud privilegium nundinarum non indulgere, nisi adjacentibus & vicinis civitatibus, quarum interesse potest, prius auditis, quamvis id ipsum de absoluta necessitate non esse asserat Fritsch. de reg. nund. jur. C. 4. n. 77. Hæ autem nundinæ solennes variis donatæ sunt privilegiis, idque ob utilitatem societatis humanæ, cui facilius consulitur, data immunitate, & securitate, qua peregrinis mercatoribus illuc facilior præparatur aditus. Inter hæc privilegia primum & præcipuum securitas publica, qua mercatores tam in veniendo, quam recedendo fruuntur, Peck. de jur. fist. C. 10. n. 3. Inde est, quod mercatores durantibus nundinis sub nullo prætextu arrestari, vel ipsorum merces detineri possint, quod in tantum procedit, ut, licet vel illud tempus privilegiatum nundinarum nondum cœperit, vel jam expiraverit, dum a loco domicilii exeunt mercatores ad nundinas & inde ad illum revertuntur, nihilominus fruuntur his privilegiis nundinalibus. Cristin. Vol. 3. de-

*cif. 99. Bald. in L. un. C. de nund. quamvis contrarium in nundinis Lipsiensibus observari testetur Carpz. P. 1. C. 30. def. 28. in quibus si signum publicum finitarum nundinarum datum fuerit, aresta cuivis petenti conceduntur, quæ & decernuntur contra illos, qui magnam suspicionis causam contra se habent. Berlich. P. 1. Conc. 77. contrarium tamen in Saxonia Electorali observari tradit idem Carpz. P. 1. C. 30. def. 26. ne commercia & negotiationes impediantur in nundinis. Hoc autem privilegio non gaudent, quas religio juramenti vinculat, nam illud privilegium, vi cujus debitores duranti- bus nundinis non possunt arrestari, nihil aliud est, quam salvus conductus, hic verò alicui si concessus fuerit, ad debita jurata non extenditur. Alexand. Cons. 137. n. 4. Vol. 6. nec ii, qui nundinarum beneficio expresse renunciârunt, cum quilibet favori pro se introducto possit renunciare. Carpz. P. 1. C. 30. def. 27. plura circa hanc materiam occasione L. un. C. de nund. publice ex cathedrâ proponet ac resolver*

NOBILIS ET CLARISSIMVS JVRIVM  
CANDIDATVS

DN. CAROLVS AVGVSTVS  
RICHTERVS,

Cui primus hujus decurrentis sæculi annus, die 24. Jun. Freybergæ in terris Misnicis primos suos dedit natales. Patrem habuit Virum integerrimum TOBIAM RICHTERVM gemmarum negotiatorem, Matrem verò MAGDALENAM ELISABETHAM, Viri Consultissimi WERNHERI THEODORI MARTINI, Appellationum Consiliarii & in Universitate Wittebergenſi quondam Pro-



Professoris Pandectarum publici filiam. Fuerunt modo nominati Parentes maximè solliciti (lavacro sacri Baptismatis & fundamentis pietatis præmissis) ut statim à primordio ætatis literarum studiis se daret, atque liberales fideliter artes imbiberet, Privatæ non solum Præceptorum curæ domesticæ commendatus, sed etiam maturefcentibus annis ad gymnasium, quod præfatæ Freybergæ floret, ad ingenium ipsius poliendum missus fuit, in quo sub fidelissimâ informatione ac vigilantissimâ manu ductione Dn. M. MÜLLERI Rectoris, Dn. M. HAASII Con-Rectoris, & M. GRABNERI, Collegæ III. Primis humaniorum literarum fundamentis per aliquot annos imbutus est. Posthæc nempe anno MDCCXIX. Universitatem Wittebergensem petiit, ibi statim ab initio Matriculæ Universitatis insertus, & nobili Studioforum coronæ adscriptus usque ad annum MDCCXXII. commoratus est, celeberrimorum Virorum collegia & philosophica & juridica frequentavit, ex ore Dn. M. WOLFFII doctissimos discursus philosophicos percepit, prima jurisprudentiæ fundamenta posuit apud Nobilissimos & Consultissimos Dominos BRENDELIVM, J. V. D. & Professore Institutionum Publicum, & KRAVSIVM, J. V. D. & Professore Publicum, his superaddidit Collegium Pandectarum Viri ac Professoris tunc temporis celeberrimi Dn. WERNHERI, nunc verò Supremi Imperii tribunalis, quod Viennæ jus dicit, Consiliarii gravissimi, Juris Publici fundamenta collegit apud Virum Consultimum Dn. KEMMERICHIVM, J. V. D., jus verò Privatum apud Dn. D. KOELITZIVM repetiit. Abinde, paucis annis interjectis, se Lipsiam contulit, ubi & Præcla-

clarissimos Viros Dn. D. & a Commissionibus Consi-  
liarium ROTHERVM, Dn. D. SIEGELIVM, Dn. D.  
SCHMIDTIVM & Collegia Theoretica & practica in-  
definente studio auscultatus est. Quo autem studiorum  
fructus reportaret optatos, tandem perantiquam no-  
stram Hieranam accessit illum in finem, ut voti academi-  
corum honorum capeffendorum compos fieret. De-  
siderium autem suum cum modeste Facultati nostræ  
exposuisset, transmissimus non solum textus ex utro-  
que jure elaborandos, sed & terminum examini rigoro-  
so præfiximus, in quo utroque Specimine præstitit se  
talem, qui unanimitate votis ad ulteriora jurium speci-  
mina dignus judicatus. Hinc non dubitavimus, illi  
publicam quoque aperire cathedram, in qua & alia eru-  
ditionis suæ documenta editurus est. Quare proxima  
die Mercurii nempe 26. August. *L. un. C. de nund.* lectio-  
nis cursoriæ loco publice explicabit & posthæc dispu-  
tationem inauguralem

DE DIFFERENTIIS INTER PROCESSVM ORDINA-  
RIVM SAXONICVM, ET ILLVM SIC DICTVM  
SUMMARIVM IN JVDICIO MERCATORIO  
LIPSIENSI VSITATVM

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Dn. Re-  
ctor, reliquique Universitatis Proceres ac Cives Acade-  
mici, ut interesse velint, quam humanissime invitan-  
tur, rogantur. Publ. sub Sigillo Facult. Jurid. d. XXIII.  
Augusti M DCC XXXIII.

(L. S.)

ULB Halle

3

005 355 664







8260.8259

5

1733, 5

FACULTATIS JURIDICÆ  
 P. T.  
 DECANVS,  
 CONR. WILHELMVS  
 Strecker/ JCVS,  
 JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS  
 ASSESSOR, PROFESSOR JURIS PVBLICVS,  
 CIVITATIS SYNDICVS ET CAVSARVM  
 TVTELARIVM CONSVLENS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
 Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
 Acad. Typogr.

*denunciations*

